

AD  
*RECENSIONEM*  
BULLARII ROMANO-SVEOGOTHICI,  
A NOBIL. A CELSE EDITAM,  
ACCESSIO.

CUJUS PARTEM XII,  
CENS. FAC. PHILOS. R. ACAD. ABOËNSIS,  
PRÆSIDE

*Mag. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,*

*Eloq. Profesore Reg. & Ord. Equ. Ord. R. de Stella Polari, R. Acad. Litt.  
Human. Hist. & Antiquitt. R. Societ. Sc. Upsal. &c. Socio,*

*Publicæ bonorum censuræ submittit*

*FRIDERICUS EPHRAIM BERGROTH,*  
*Stip. Reg. Borea-Fenno,*

*In Audit. Min. die I Aprilis MDCCCI,*

H. A. M. C.

---

*ABOÆ, Typis Frenckellianis.*

## THESES RESPONDENTIS.

### Thes. I.

**P**hilosophis quibusdam recentioribus recte idem obvertas quod Epicureis olim Cicero: *Hoc est vim afferre sensibus, extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus.* Quare merito addit idem: Opera danda, ut verbis utamur quam assitatisimis, & quam maxime aptis, id est, rem declarantibus.

### Thes. II.

Inter ideas nostras quasdam esse quasi dominantes, quarum in totam reliquarum seriem atque compagem magna sit vis, experientia docet; illarum nonnullas quidem interdum quasi dormire, sed minime tamen otiosas esse, ac facile etiam experges fieri, eadem confirmat.

### Thes. III.

Claritas & vis idearum in somnio nobis obversantium, multas causas habet, nec a sola quiete sensuum externorum explicari satis potest.

### Thes. IV.

Pro animi nostri immaterialitate demonstranda, vix aliud habemus validius argumentum, quam quod a simplici nostri conscientia individuoque personalitatis nostrae sensu deduci solet.

### Thes. V.

Attentio mentis recte in liberam & necessariam dispeicitur.

### Thes. VI.

Recte Cicero virtutes sociales omnes vel ad justitiam vel ad beneficentiam referuntur.

### Thes. VII.

Non incommoda Idem tres præcipuas injuriae fontes, in metu quodam ne ipsi læsesamur, in avaritia, & in dominandi cupidine, querit.

### Thes. VIII.

Bene Cicero Felicitatem (plenum) esse dicit cumulatam bonorum complexionem, secretis malis omnibus.

### Thes. IX.

Pulcre non minus quam vere Quintilianus: Qui stultis, inquit, eruditii videri volunt, stulti eruditis videntur.

### Thes. X.

Inter varias, quæ de fontium origine propositæ sunt sententias, illa, quæ aquæ pluviali & sublatis in aërem vaporibus illam adscribit, maxime probabilis videtur,

revocatur, non obstantibus literis, instrumentis, juramentis, renuntiationibus, poenis & confirmationibus interpositis; atque ut a possestoribus, per censuram ecclesiasticam extorqueantur, mandatur. — Ibid. Fol. 36 (z).

## MARTINUS V.

I. Scarenſi & Strengianenſi Episcopis. *Apud Urbem veterem II Kal. Decemb. A. III* (d. 30 Nov. 1419). Revocationem bonorum de Mensa Episcopali ab alienatorum, exemplo Literarum Concilii Constantiensis, proxime commemoratarum, urget. — Ib. Fol. 36 (a).

## FELIX V.

I. Alexander, tit. S:ti Laurencii in Damaso -- Presbiter Cardinalis, Aquileiensis vulgariter nuncupatus, sacrosancte generalis Basiliensis Synodi --- & Apostolice Sedis per Germanicam nationem Legatus de Latere specialiter deputatus, ac Mazovie Dux &c. salutem in Domino sempiternam. Datum Rincfeldia Dyocesis Basiliensis A. D:ni MCDXL (1443?) die vero XI Mensis Aprilis, Pontificatus -- Felicis Pape Quinti A. III. Omnibus qui certis hic enumeratis diebus festis Capellam Corporis Christi, in Ecclesia Aboensi conditam (ubi cultus Divinus omnibus quintis singularum septimanarum feriis peragebatur) visitaverint, ac pro ornamento rum ecclesiasticorum ipsius Capellæ restauratione ac ejusdem Capellæ fabrica, seu Divini cultus inibi augmento, manus adiutrices porrexerint, quinque annos Indulgentiarum & totidem quadragenas de injunctis eis poenitentiis relaxat. — Ibid. Fol. 236 (b).

Q

EU-

(z) Cfr. de hac Bulla *Annott. ad Chron. Juuſt.* p. 467 sq.

(a) Cfr. l. c.

(b) Cfr. l. c. p. 435, Not. 392.

## EUGENIUS IV.

1. *Universis Christi fidelibus. Rome apud S. Petrum anno Incarnationis Dominice 1445, Kal. Junii, Pontificatus A. XV.* Cum accepisset Papa, quomodo Cathedralis Ecclesie Aboënsis, quæ partibus infidelium est vicina, ignis voragine & crebris eorundem infidelium insultibus causantibus, in suis structuris & ædificiis, utpote totali ruinæ fere subjacentibus, ac ecclesiasticis ornamentiis, reparatione & restauratione indigeat non modicum sumtuosis, & ad illos faciendos ipsius ecclesiae non suppetant facultates; igitur omnibus, qui *in die translationis beati Henrici eandem visitaverint annuatim*, & ad reparationem & conservationem ejus manus adjutrices porrexerint, *septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis poenitentiis relaxat: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.* — Ibid. Fol. 66 (c).

2. *Georgius tit. Sancte Anastasie, Guilhelmus tit. S. Martini in Montibus, Alfonsus tit. Sanctorum IV Coronatorum, Presbiteri, Prosper S. Georgii ad Vulum Aureum, Albertus S. Eustachii, Petrus S. Marie nove, Dyaconi — Cardinales, Universis & singulis Christi fidelibus &c. Rome A. — MCDXLV, die vero 2 Mensis Julii, Pontificatus — Eugenii — Pape IV A. XV.* Omnibus qui Altare beatæ Mariæ Virginis, dictum Clericorum, situm in Cathedraли ecclesie Aboënsi, certis, commemoratis hic festivitatibus, annuatim visitaverint, & ad reparationem & conservationem ædifici, calicum, librorum ac aliorum ornamentorum necessariorum contulerint, *Centum dies indulgentiarum relaxant.* — Ibid. Fol. 186 (d).

## PAULUS II.

1. *Elauus (Alanus) tit. Sancte Praxedis, Jacobus tit. S. Anastasie, Johannes (Ludovicus?) tit. S. Laurencii in Damaso, Gerardus*

(c) Cfr. Annott. ad Chron. Juust. p. 264.

(d) Cfr. l. c. p. 454. Not. 401.

*dus (Berardus) tit. S. Sabine, & Ludovicus Sandor. Petri & Marcellini - - Presbiteri, Cardinales, Universis Christi fidelibus &c. Rome - - Anno a nativ. Dei 1465, Indicione XIII die vero XX Augusti, Pontificatus - - Pauli Pape II:di A. I. Altare S. Catharinae in Ecclesia Aboensi ornant Indulgentiis Centum dierum, omnibus concedendis qui certis festis illud visitaverint. — Ibid. Fol. 173 (e).*

## SIXTUS IV.

*1. Preposito Ecclesie Aboensis. Rome apud S. Petrum anno Incarnationis Dominice MCCCCLXXXIII, XVIII Kal. Julii, Pontificatus anno - - (f). Committitur ei negotium absolvendi Conradum Episcopum Aboensem, a culpa gravi cuius sibi conscius ad Papa indulgentiam confugerat atque veniam petiverat, (simulque Episcopo conceditur, ut usque ad quinquennium limina Apostolorum visitare non teneatur). — Ibid. Fol. 255 (f).*

(e) Cfr. l. c. p. 552 sq. Not. 580.

(f) Cfr. de hac Bulla (quam integrum ibidem dedimus) *Annott. ad Chronic. Juuſt.* p. 572. Not. 598.

Quum ex his pateat, prætermisas esse a Duumviris *Bullariorum* collectoribus nostratis, tot Bullas in uno reperiendas Libro Aboensi; causa est suspicandi, nec omnes in reliquorum Registris veteribus Ecclesiarum Patriæ Cathedralium obvias, diligentissime suisle examinatas atque descriptas? Unde necessitatem fontes hosce Historiæ nostræ vetustioris de novo accuratius inspiciendi atque examinandi, dispaleſcere arbitramur: quam igitur curam iis qui commodius eosdem adeundi atque inter seſe conferendi opportunitate gaudent, merito putamus commendandam.

Habentur quidem in egregia Literarum publicarum collectione ex Archivo Papali descriptarum, qua Bibliothecam nostram Academicam dedit Generosis. FREDENHEIM, præter Bullas Pontificias breviter supra recensitas, Literæ quoque IV, partim *Regis Gustavi* partim *Senatus Svecici* nomine ad Papam *Adrianum VI* (a. 1523) scriptæ, cognitu

illæ etiam dignissimæ; sed quod easdem integras publicæ jam luci  
commisit Cel. OL. AND. Knös, in fasciculo Disputationum Academicar.  
laudabili, quem *Analecta Epistolarum &c.* inscripsit (vid. *Specim. III.*  
p. 53-44), otium nobis carum recensendarum fecit. — Adjunctum ve-  
ro præterea eidem Cimelio Bibliothecæ Acad. munifice oblato exem-  
plum reperitur Literarum quarundam (s. relatonis) Cleri Svecani no-  
mine? a Capitulo Upsaliensi ac præcipue membro ejus diligentí *Nico-  
lao Sigvæssi*, (cf. supra p. 68 sq. & p. 70), vigili commodorum curiæ  
Papalis custod, ad Papam (*Johannem XXII*) misiarum, rationemque  
& conditionem pecunie ex Regno Sveciae per hæc tempora, in usum  
Cameræ Apostolicæ, variis nominibus exactæ, (additis consilio Hierar-  
chiæ Papalis apud nos callidius constitutæ), luculenter exponenti-  
um. Quarum literatum partes præcipuas, quum ad conditionem Pa-  
triæ, illis temporibus, cognoscendam haud parum pertineant, excer-  
ptas hic subjungemus. Tale autem jam habent initium:

Significat Sanctitati Vestre in primis *Nicolaus Sigvæssi*, dudum collector  
denarii Sancti Petri, & fructuum primi anni in Regno Svetie,  
quod Denarius S. Petri, qui alias Census Romanus in illis partibus  
appellatur, prout haberi potuit & in quanto numero, ipsum integra-  
liter attulit, & Vestre Camere assignavit; sed quia duo sunt ibidem  
Episcopatus, videlicet Strengensis & Arosiensis, de quibus non po-  
tuit habere nisi dimidium denarium usualem, Episcopis pretendenti-  
bus, quod ipsorum Ecclesiæ plus exsolvere non conueverant ab an-  
tiquo, nec Archiepiscopus & nos *Capitulum* per legittimas probatio-  
nes ipsos poteramus ad majora compellere: recepimus quod habere  
potuimus illa vice, sub hac videlicet conditione & protestatione pre-  
missis, quod si Vos de tali medietate contentamini, contentamur &  
nos; sin autem, nec nos. Sed quoniam in tali exsolutione fraudem  
reputamus factam legi, & Sedem Apostolicam Iesam in tanto, quod  
esse non debet, prelestim cum tantum leviter a laicis illarum Dy-  
cesium, quantum alii qui integrum Denarium exhibent; rogamus quod  
vel ipsos pro quittis teneatis pro talibus assignatis, vel mandetis e-  
isdem coherceri usque ad satisfactionem condignam de sic injuste re-  
tentis & negatis: potissime quia licet tam pauca summa modicum  
quid supplementum conferat Apostolico erario, dissimilandum tamen  
non estimo, si ei vel in modico derogetur, & quia simile inveni in  
Dacia, felicit quod a rusticis solvitur, & per presbiteros parochia-  
les colligitur, collectusque defertur ad Ecclesiæ Cathedrales, licet  
quidam eum negent Ecclesiæ Romane deberi, & ipsum ad usus alios  
trans-

"transtulerunt, pro eo quod a longo tempore per Romanam Ecclesiam  
"non est petitus, non possum transire sub silentio, quin quod inveni  
"Vestre insinuem Sanctitati, & scio quod in Lundensi & Roskildensi Dyo-  
"cesibus solvuntur tres obuli, quorum unum levant *Fratres Hospita-*  
"lis Sancti Joannis, & duo prout audi vi pro vero a veridicis, Eccle-  
"sie Romane debentur, & similiiter nobiscum Fratres predicti partem  
"levant; consueverunt enim illa tria Regna in talibus ad similia  
"judicari."

"Noverit infuper S. V. quod remanet adhuc in eodem Regno Denarius B.  
"Petri collectus de quinque annis proxime preteritis."

"Item noverit S. V. quod decime Terre Sancte indicte in Concilio Vien-  
"nensti per fel. recordacionis *Clementem P. P. Predecessorem Vestrum,*  
"collecte sunt & servantur in moneta usuali, quia aliquid de his ad-  
"huc mandatum non venerat, nec possunt subito utiliter commutari,  
"quia carissima aurii & argenti est ibi, sed modo precipue propter guer-  
"rarum commotiones omnia devastantes, que ibi sevierant multis an-  
"nis, nec adhuc proh dolor, sunt sedate, sed ab intus periculosius  
"excitate, & ideo de ipsarum commutatione & deportatione major dif-  
"ficultas ingeritur, precipue quia Rex terre puer est, & principes  
"communiter dominantur, incedentes singuli in multitudine nimis  
"gravi, & ex hoc plurimum vacillat Regni Gubernaculum, nec Pre-  
"lati aliquam ibidem jurisdictionem obtinent temporalem, & multi No-  
"biles sunt egentes, ac propter guerras ad insidiandum & rapiendum  
"expositi jugiter & parati, presertim quia plures Prelatos & Capitula  
"molestaverant, petentes de hiis mutuum sibi fieri, & hoc eis exti-  
"lit denegatum. Quare ad extraendum hujusmodi ad prefens illa vi-  
"detur via commodior, ut quibusdam, videlicet tribus Prelatis, Archi-  
"Episcopo & duobus ejus suffraganeis, Lincopensi scilicet & Skarense  
"Episcopis, ac aliquibus valentibus & fide dignis personis ecclesiasti-  
"cis, que amicorum majorum assidentiam habeant, & mercatorum noti-  
"ciam diciorum, tam intra quam extra Regnum, hujusmodi commuta-  
"tio & deportatio, secretiori modo quo fieri poterit demandetur.  
"Hec ideo dixi, quia didici quod velletis de hiis integraliter infor-  
"mari." Deinde, quibusdam interjectis, porro additur:

"Item quia incole Regni Svetie frequenter invaduntur & atrociter occi-  
"duntur a circumledentibus ipsis Ruthenis, Scismaticis & Paganis, ma-  
"gui foret meriti, si eos Vestra Beatitudine misericorditer respiceret, &  
"contra hostes fidei, armis & donis spiritualibus premuniret, Indul-  
"gentiis videlicet & remissionibus peccatorum, tanquam premiis ille-

"atvis animando & hortando eosdem, quod guerris, oppressionibus &  
"bellis intestinis sopitis & sedatis, vires probitatum suarum, more  
"progenitorum suorum, quorum multi ab olim in illis partibus pro  
"fide diversis & atrocibus suppliciis obierunt, feliciter, ut speratur, ex-  
"erceant unanimiter & viriliter contra ipsos. Placeat igitur Sanctitati  
"Vestre ipsos consolabiliter inducere exhortatione talubri ad hoc ipsum,  
"more fel, recordationis *Alexandri III Predecessoris Vestri*" (intelli-  
gitur fine dubio Bulla hujus Pontificis apud Nob. A CELSE p. 35. N:o  
1 recensita, ac locis ibid. indicatis legenda) "qui se ibi contra huius-  
"modi invasores pro fidei & regni defensione exponentibus concescit  
"eandem Indulgentiam, quam conlequi potuisent si ultra mare in San-  
"cte Terre sublidium transivissent. Ex premissis, ut arbitror, habe-  
"tur occasio scribendi *Regni Gubernatoribus, Clericis & Laicis, qui*  
"nunc regnant."

"Ad hoc scribendum videtur Dominis Archiepiscopo Upsalensi, Linco-  
"penxi & Skarenxi Episcopis, ad quas in presentiarum major habetur  
"respectus, quod quoniam ad Vos spectat statui Regni illius, ut nunc  
"magis pacifico, paterna follicitudine providere, prefertim quia mox  
"ut Rex & incole Regni ejusdem colla sua jugo fidei submiserunt, se  
"ipsos constituerunt Sedis Apostolice censuales, centum qui dicitur  
"Denarius Beati Petri de foco quolibet annis singulis exolvendo, sic  
"ut hoc claret per Litteras *Alexandri III Predecessoris Vestri*" (Bul-  
las *Anastasii IV* huc pertinentes, recensitas vide apud Nob. A CEL-  
SE l. c. p. 34. N:o 1 & 2) "ipsi Vestra auctoritate de omnibus que  
"statum Regni (leg. *Regis*) dudum electi & Regni sui ac rempublicam  
"tangunt quomodolibet se continue & efficaciter intromittant, ita quod  
"jura ipsius reipublice in spiritualibus & temporalibus non ledantur;  
"sperat enim quod ad acquirendum dominium Regni illius pro Roma-  
"na Ecclesia sua erit via oportuna magis modo quam unquam prius:  
"ob hanc cau.am adduxit littere *Alexandri III* transcriptum, quod  
"hic assuitui" (harum literarum exemplum hodie desideratur) "quam  
"dignemini sub Vestro nomine renovare, sicut supplicat Archiepisco-  
"pus supradictus."

"Item supplicat N. (*Nicolaus Sigvasti*) quatenus consimilem" (ei quam Lin-  
copensi paullo ante expetiverat) "gratiam concedere velitis omnibus cum  
"devotione accedentibus ad Ecclesiam Skarensem diebus supradictis . . .  
"Moveat ad hec & alia grata Vestrarum Sanctitatem, quod Canonici  
"Skarenis Ecclesie predicte, cum dudum ex mandato . . . Archiepisco-  
"pi & Capituli Upsalenesis Denarium S. Petri ad Upsalensem Ecclesiam  
"defer-

“deferrent assignandum eisdem, fuerunt statim antequam duas leticas  
“peregissent, summa totali quam serebant & rebus aliis ac equis in  
“itinere spoliati, quos nichilominus, parcat Deus, induxi vel verius  
“coegi ego Nicolaus, quod summam eamdem per se & clerum & Ec-  
“clesiam dicte Dioecesis in integrum resarcirent, quod & ipli sicut  
“commune (?) obedientie filii devote fecerunt.”

“Ad hec, Pater Sanctissime, ut Nuncii per Beatitudinem Vestram in po-  
“sterum mittendi ad supradictas partes pro negotiis dictae Sedis reddan-  
“tur omnibus gratiosi, & ut eadem negotia felicius prosperentur, ad  
“concedendum ipsis gratias infra scriptas dignemini Vestre munificentie  
“dexteram benignius aperire.”

“Videlicet ut iidem Nuncii in Sacerdotio constituti audire valeant con-  
“fessiones personarum illarum partium ad quas mittentur, & per quas  
“transitum fecerint, eundo, movendo & redeundo, & eis illam remis-  
“sionem impendere quam ipse persone consequerentur a penitentiariis  
“Vestris, saltem inferioribus, ad Sedem Apostolicam personaliter veni-  
“entes, & nichilominus personas easdem a quibuscumque sententiis ex-  
“communicationis absolvere, & cum iis, si Clerici fuerint, super irre-  
“gularitatibus dispensare.”

“Item quod ubi eas continget Misericordiarum solennia celebrare, vel propo-  
“nere verbum Dei, posint aliquam Indulgentiam celebrationi vel pro-  
“positioni hujusmodi presentibus gratiose concedere, de qua Vestre  
“Sanctitatis clementia duxerit ordinandum.”

“Item ut Nobilibus ac Potentibus, quorum auxilio & favore contra  
“prosecutionem negotiorum buiusmodi indigere noscuntur, gratosos se  
“reddere valeant & acceptos, faciendi, recipiendi singulas personas,  
“videlicet predictorum Nobilium & Potentum filios Clericos in singu-  
“lis Ecclesiis, Cathedralibus dumtaxat exceptis in Canonicos & in  
“fratres, ipsisque de Prebendis singulis providere; Puellas vero littera-  
“cas singulas in singulis Monasteriis ad certum numerum in Monachas  
“& Sorores, ipsisque Monachalem habitum exhiberi, & contra, prefa-  
“tis Nuncii concedere dignemini facultatem, cum omnibus clausulis  
“oportunis.”

“Item quod Beneficia Ecclesiastica, etiam si dignitates, personatus vel  
“officia cum cura vel sine cura fuerint, virtute constitutionis Vestre  
“que incipit Execrabilis vacantia, ac illa quorum collatio per lapsum  
“temporis secundum Lateranensis Statuta Concilii est ad Sedem Apo-  
“stolicam devoluta, personis ydoneis auctoritate Vestra conferre vale-  
“ant,

"ant, & nichilominus de Beneficiis vacantibus de jure vel de facto;  
"modo simili provideri plenam & liberam concedere dignemini facul-  
"tatem, in partibus supradictis."

"Item quod cuilibet Nunciorum predictorum aliquem virum potentem &  
"fame probate illarum partium ad quas Nuncius ipse mittetur, cuius  
"consilio & auxilio dirigi valeat, velitis adjungere, ut in prosecu-  
"tione huiusmodi feliciter properetur."

"Item quia dicti Nuncii circa expeditionem negotiorum predictorum,  
"Magnatum partium predicatorum ope, auxilio & favore noscuntur ne-  
"cessario indigere, ipsis, ut Magnates ipsos eo sibi favorabiores ha-  
"bere valeant, quo se ipsis possint magis reddere gratiosos, Nunciis  
"eisdem, ut cum dictis Magnatibus in quarto consanguinitatis gradu  
"matrimonialiter conjunctis aut itidem conjungendis, auctoritate Vestra  
"licite dispensare valeant, saltem ad certum per Vos taxandum nume-  
"rum liberam concedere dignemini facultatem, prolem suscepitam aut  
"iusticiendam ab eisdem legitimam decernendo."

"Item significat S. V. Archiepiscopus Upsalensis & ejus suffraganei in Re-  
"gno Svetie, quod propter tenuitatem suorum reddituum oportet eos  
"sustentationi pro majori parte recipere a visitationibus subditorum;  
"unde contingit, de antiqua consuetudine, immo abusu potius, quod  
"quamvis ipsis cum ad visitationes ipsas descendunt, *evectionum* nume-  
"ro Lateranensis Concilii sint contenti, unde (an tamen?) Milites &  
"Armigeri, *Hovales* nuncupati, ad eos in magna multitudine confluunt,  
"quos de premisa consuetudine non posunt sine gravi scandalo evi-  
"tare; sicque fit, quod *evectionum* ipsartum excrementibus & multipli-  
"catis propterea numeris, & eisdem Archiepiscopo & Suffraganeis ne-  
"queuntibus ipsis Militibus & Armigeris de propriis facultatibus pro-  
"videre, adeo Ecclesie & persone ecclesiastice visitate graventur, quod  
"dum longi temporis viatum brevis hora consumperit, remanent in  
"longius obligate. Cum igitur talis consuetudo inibi pro lege servata  
"nequeat extirpari, eis indulgere dignemini, ut quamvis (quavis?)  
"constitutione contraria non obstante, possint eorum singuli per ydo-  
"neam vel ydoneas personas huiusmodi visitationis officium exercere,  
"& nichilominus annis singulis ab universis ecclesiis, in quibus per  
"duas noctes *Procurationes* ratione visitationis ejusdem consueverunt  
"recipere, duos *Florenos de Florencia*, vel eorum valorem; ab illis  
"vero qui pro una nocte unicam ipsius Procurationi impendant, *unum*  
"Florenum auri percipere valeant, & taliter visitatos, ad hoc per se  
"vel per alium seu alios, per censuram ecclesiasticam auctoritate Ve-  
"stra

"Ita, sublato appellacionis obstaculo cohercere. Proviso quod pro  
"eis visitantes, dum visitant, septem electionibus sint contenti, & si  
"eas exceserint, excommunicationis sententiam incurvant ipso facto,  
"nisi tales pro ipsis visitantes, de proprio corundem satisfacere velint  
"pro illis qui ad ipsos concurrerint taliter visitantes. Ex his siquiu-  
"dem, Pater Sanctissime, plurima bona provenient, & Episcopi ac Ec-  
"clesiarum Cathedralium Canonicj in eorum ecclesijs, ad Divini cultus  
"augmentum frequentius residebunt, siveque fiet quod evagations mul-  
"tipliciter vitabuntur, & insolentie plurimum compescentur."

"Item quia statim cum Rex vel Principes Regni Svetie quamcunque le-  
"viter offendantur, retractant & revocant omnem ecclesiasticam liber-  
"tatem, & partem Decimarum que olim confueverat Decima paupe-  
"rum appellari, super qua parte tanquam fundamento edilicium fabrice  
"Ecclesie Upsalensis confluit, & sunt in ea fundate Prebende Canonico-  
"rum, in (sufflationem?) Pauperum studentium Parisiis, quasi omnes inhibi-  
"bent eis dari, ob quam inhibitionem dii Capitulum & Ecclesia omnibus  
"libertatibus ecclesiasticis jam infra viginti unum annos, per inter-  
"gros novem annos totaliter, caruerunt; Ita etiam quod propter de-  
"fectum sufflationis cogebantur ipsi Canonici Ecclesiam Cathedralem  
"quasi desolatam relinquere, & apud alias rurales & parrocbiales ec-  
"clesias residere: supplicat de votissime Sanctitati Vestre Archiepiscopus  
"predictus, quod privilegia felicis recordationis Regis Magni & fi-  
"lli sui Birgburi, quondam Regis Svecie, super iuribus, libertatibus  
"& decimis iupradictis Upsalensis Ecclesie, & personis Regni ejusdem  
"indulta & concessa, quorum quidem originalia cum sigillis eorum-  
"dem in curia Vestre Sanctitatis existunt, ad prelens dignemini ex  
"certa scientia, & insertis de verbo ad verbum Vestris litteris Aposto-  
"licis tenoribus eorumdem, perpetuo confirmare, & nichilominus au-  
"toritate Apostolica declarare, omnes & singulos qui contra ecclesia-  
"cam libertatem tam in dictis privilegiis expressam, quam aliis qui-  
"busunque fecerunt vel facient, in futurum, seu qui in hoc prestito-  
"runt vel praestabant in posterum consilium, auxilium vel favorem, ni-  
"si moniti infra tempus per Sanctitatem Vestrarum moderandum ab hu-  
"iusmodi totaliter desisterint, & passis injuriam satisfecerint cum effe-  
"ctu, excommunicationis sententiam incurrisse vel incurrire in poste-  
"rum ipso facto, quotiescumque contra predictam venerint libertatem;  
"ex superioris dono gratie eidem Sveciane Ecclesie concedentes, quod  
"huiusmodi non possint nisi a Sede Apostolica, ab excommunicatione  
"predicta absolutionis beneficium optinere. Proviso quod Conservato-

res privilegiorum Ecclesie Svecane quotiens requisiti fuerint a taliter  
oppressis, transgresores, injuriatores ac violatores huiusmodi liber-  
tatis ecclesiastice, canonica monitione premisa, excommunicatos pup-  
plice denuntient, & faciant usque ad satisfactionem condignam tam-  
quam excommunicatos ab omnibus evitari. - - - Alias autem li-  
bertas ecclesiastica in illis partibus plane succumbet & penitus con-  
fundetur.

Item supplicat Archiepiscopus Upsalensis predictus, quatenus privile-  
gium vel recordationis *Alexandri III*, Predecessoris Vestri conces-  
sum pie Archiepiscopo Upsalensi & ejus Suffraganeis, cuius transcriptum  
sub manu publica in curia Vestre Sanctitatis exiit, de verbo  
ad verbum ipsis & eorum Ecclesiis, inserto tenore dignemini ex cer-  
ta scientia innovare, vel etiam aliud consimile in effectu de novo  
concedere.

Item cum Fratres Ordinis Predicatorum in terris illis sint perutiles Ec-  
clesie sancte Dei, & cum de loco ad locum se transferunt, non in-  
veniunt propter vastitatem silvarum, aquarum impedimenta, carissimam  
& guerras sepe inibi contingentes, cibaria eis congrua, juxta dicti  
Ordinis instituta, quin imo in multis locis pauperrimis eis frequen-  
cius panis ordaceus pro cibo, etiam sine cervisia propinatur; suppli-  
cat quatenus negocio fidei succrescendo indulgere dignemini, ut di-  
cti Fratres, ne propter penuriam ibi deficiant, cum sic se transfe-  
runt, omnibus cibariis, illius temporis qualitati congruentibus libere  
vesci possint, prout videtur Sacrum Euangelium predicantibus indul-  
gere.

Item cum idioma illorum trium Regnorum, Dacie scilicet, Svecie &  
Norvegia, adeo sit ab omni alio ydeomate extraneum & distinctum,  
quod nec ab Alamannis poslit intelligi etiam in communibus, nec ve-  
nientes de illis partibus ad curiam, posunt quoquo modo, nisi per  
interpretes, ut plurimum minus providos, confiteri, qui etiam ut se-  
pius vix inveniuntur, & ideo pluries coguntur vel defectuose nimis  
confiteri, vel etiam sine confessione redire de fonte misericordie, tan-  
quam de venia desperatis; supplicat predictus Archiepiscopus & Suf-  
fraganei sui humiliter & devote, quatenus animarum saluti paterne  
consulendo, regnis predictis providere dignemini de Penitentiario il-  
lius lingue, sicut habere consueverant ab antiquo, & illi sicut aliis  
Vestre Sanctitatis Penitentiariis stipendia ministrare.

Item supplicant, quod hec petitiones transeant absque alia lectione.

Facile videas, scriptas fuisse primis annis regnantis in Svecia *Magni II* (vulgo *Smek* dicti) adhuc minorenns; de cuius temporis in Svecia infelicitate etiam hæ litteræ fatis testantur. Neque obscure docent, *Nicolaum Sigvæsti*, quem præcipuum illarum fuisse auctorem appetet, virum fuisse callidum, nec in Curia Romana frustra versatum (cfr. supra p. 69 sq. N:o 3). Non sprevise consilia sua Papam, eventus docet (cfr. ex. g. supra p. 71, N:o 3 & 4, nec non a CELSE p. 107 sq. N:o 5, 6, 14 & 16, &c.) Hinc simul explicantur & confirmantur verba Chronicæ veteris a SCHEFFERO editi, quod (p. 153) de *Nicolaio* nostro habet: *plures bullatas litteras de privilegiis pro Ecclesia impetravit*; de quibus litteris, quænam fuerint, sibi nihil constitisse, SCHEFFERUS fatetur.

Cæterum adposita apographo nostro nota legitur, Italice exarata, qua indicatur literas hasce fuisse accurate descriptas ex *Membrana, initio trunca*, (quod etiam contextus mox prodit,) adeoque *nota temporis orbata*, in *Archivo Secreto Vaticano aservata*; scriptas autem apparet ad Pontificem *Johannem XXII* (qui a. 1316 Sedi Papali fuit admotus, cujusque Decretalis famosi, dicti *Execrabilis, Extravagantibus suis inserti*, hic mentio fit). Porro ejusdem Autor notæ addit, in eodem Archivo alia quoque servari talium monumentorum volumina, ex quibus pateat *Nicolaum* a. 1319 & sequente Collectorem fuisse Apostolicum in Svecia, anno vero 1322 Avenionem jam rediisse, rationemque reddidisse negotii sibi commissi, in quo curando successor ei sit datus. Cui asserto demonstrando interficiens inde attulit testimonia sequentia:

"A. 1319 die 22 mensis Julii *Magister Nicolaus Sigvæsti, Canonicus Upsalensis, Collector denarii Censum Romanæ Ecclesiæ, qui vocatur denarius Beati Petri, in Regno Svetiæ, asignavit Cameræ de censibus prædictis per ipsum in dicto Regno receptis pecuniarum auri & argenti, ac argenti in maslis, quantitates infra scriptas, videlicet 603 marchas & 5 uncias & tres partes unius unciae argenti in maslis ad pondus auri =. Item assignavit dictus Canonicus 500 florenos auri & 7 solid. Turonen. grosorum argenti." "(Ex To. LXI Ration. Cam. Apot. p. 3.)"*

"Anno a Nativitate D:ni 1321 die 10 mensis Januarii *Mr. Nicholaus Sigvæsti &c.* (ut supra usque ad *receptis*) 249 florenos auri per manum Bonifacii de Peruciis Mercatoris de societate Peruciorum de Florentia fecit assignationem prædictam." "Ex To. LXXIII Ration. Cam. Apot. p. 1. t.)"

"Anno

"Anno 1323 die 4 Novemb. Dominus *B. de Montealrano*" (cfr. supra p. 75. N:o 6 & 7.)" Archidiaconus Sicolonie, de censu qui dicitur "denarius Beati Petri, collecto per eum tam in Regno Svetie, quam "in Dioceli Lundensi prope Daciam, assignavit Cameræ 595 florenos "auri, 4 denarios, cum massa auri & 5 denar. Turonen. grosforum."

"(Ex To. XCVI Ration. Cam. Apost. p. 1. t.)" Cfr. quæ habet A CELSE p. 108. N:o 11 & 12.

Tandem Collectioni laudatae adjuncta est plagula, descripta (ut Annotatio præmisita docet) "Ex Codice Archivi Vaticani, in quo habentur Ratio-nes receptorum per *Joannem de Serrone*, Priorem Conventus Fra-trum Ordinis Predicotorum de Frigiaco Caturicensis, & *Bernardum de Ortal*. Rectorem Ecclesie de Novalibus Eleætentis Dioc. Nuntios Apo-stolicos & Collectores ab anno 1316 ad 1319, in Norvegia, Svecia "& Gocia, ex decimis sexennialibus, censibus seu denariis S. Petri &c. "p. 110 t." (cfr. supra p. 74. N:o 8.) cui plagulæ inscriptio talis est præfixa:

"*Hec sunt Recepte facte in Civitate & Dioc. Aboen. Regni Svecie.*" Deinde sequuntur verba a nobis inserta *Annott. ad Chron. Juostenianum* p. 789 sa. Post quæ, nova præmisita inscriptione hujusmodi: *Ibidem extant Rationes Receptorum per Petrum Gervasi Nuncium Apostoli-cum in Dacia & Norvegia & Censibus Romanæ Ecclesiæ &c. ab an-no 1331 ad 1334, p. 56 t. p. 58 & p. 59 t.* habentur verba loco nu-per indicato, p. 790 allata: *Item anno quo supra &c.* quæ itaque hic repetere non attinet. Cir. cæterum de his Apostolicæ Sedis per hæc tempora tributis apud majores nostros exactis, *LAGERBRING Svoa Rik-es Hist.* P. III. C. 2. §. 7. & C. 5. §. 3.

